



QUÆ RES FELICITER VORTAT!  
JUSSU  
MAGNIFICI AMPLISSIMI;  
SENATUS GEDANENSIS,  
AD SOLENNEM INAUGURATIONIS  
PANEGYRIN,

UT  
VIR EXCELLENS ET CLARISSIMUS,  
DN. M. GABRIEL  
GRODDECK,

GEDANENSIS,  
HACTENUS IN ACADEMIA PHYLUREA LITE-  
RATURÆ TALMUDICÆ ET LINGVARUM ORIENTALIUM  
PROF. PUBL. EXTRAORDINARIUS, FACULT. PHILOSOPH.  
ASSESSOR ET COLLEGII B. MARIE VIRGINIS  
COLLEGIATUS;

APUD NOS  
PHILOSOPHIÆ PRIMÆ ET PRACTICÆ PROFESSIONI ORDI-  
NARIÆ, UT ET BIBLIOTHECARIATUS MUNERI,  
IN ATHENÆO PATRIO,

*Die X. Decembris MDC XCIX. Hora IX.*

MORE MAJORUM,

LÆTIS AUSPICIIS ADMOVEATUR:

LITERARUM HONESTORUMQ; STUDIORUM

**PATRONOS, FAUTORES**

**ET AMATORES,**

EO QUO DECET  
CULTU ET AFFECTU,  
INVITAT;

STUDIOSAM VERO JUVENTUTEM

PERAMANTER CONVOCAT,

ATHENÆI RECTOR

**SAMUEL SCHELGUIGIUS,**

S. THEOL. D. ET PROF. PUBL. ECCLESIAEQ;

AD SS. TRINIT. PASTOR.

**G E D A N I,**

Excudit JOH. ZACHAR. STOLLE,

Typographus Athenzi.





ALANTE, barbarâ Gallorum voce, hodie eruditionem cognominamus, quam Græci veteres fortasse, si Mercurii caduceo ex inferis revocarentur, *καλλιμαθίαν* vocarent: A Latinis describi posset peritia venustati temporum, in quibus vivitur, seu veræ, seu imaginariæ, conformis. Eâ ornati esse creduntur, qui lingvas exoticas, quas non nemo *scorias Romanæ lingvæ* & *trivialium barbaris morum rubiginem* appellabat, callent; tametsi Hebrææ Græcæque, imò & Latinæ dictionis, aut penitus inscii sint, aut vix leviter gnari. Proximum â lingvis locum invenit Scriptorum, præsertim recentiorum, notitia: Veterum enim exigua apud quosdam, vel nulla ratio habetur. Nec tam inquiritur, an lecti fuerint libri, quorum tituli jaçantur; ubi *Nominalium* factio, ut Scholasticorum distinctionem huc transferre liceat, *Realibus* præfertur. Sed & Nummorum crepatur scrutinium; in quo solo adhuc aliqua priscae literaturæ diligentia, vel ab invitis, impendatur oportet. Reliqua autem, quæ in censum hunc veniunt, parum ultra secula aliquot ascendunt, ut Heraldicum studium, quod in armorum gentilitiorum areis, imaginibus, coloribus fasciisque discriminandis occupatur: ut & Genealogiæ, quibus, tametsi illud *Jctorum*, ut vocant, Brocardicum: *Pater est, quem nuptiæ demonstrant*: admittas, nihilo tamen secius plurimum incerti dubiique subest: denique Historia politica orbis nunc imperantis; cum intereâ qui Abo- riginum ævo posteritati instruendæ, præluxerunt, altâ supinâque negligentia sepeliantur. Talis quidem venustæ illius, quâ seculum modernum se effert, eruditionis facies est: quam in se spectatam absit ut omnino in singulis partibus contemnamus altoque supercilio despiciamus: tametsi quæ in cultoribus displiceant, candidè indicaverimus; illud puta, quòd haud pauci spretâ eruditione veteri, huic soli animum applicant, aut nullam aliam, nisi hanc, momenti alicujus censent. Quos iis propè similes existimamus, qui ædificio ex luto tigillisque vix cohærentibus exstructo, colores nescio quos, vel argenti aurive tenuissimas bractæas illiniunt, & â prætereuntibus, ut ex superficie, in parietes aut penetralia, judicium ferant, non absque supercilio requirunt. Ab istâ opinione scholis funestâ solidæque literaturæ fatali, recedit VIR Excellens & Clarissimus, DN. M. GABRIEL GRODDECK Gedanensis, ex gratiosâ Magnifici Amplissimique Senatûs Geda-

Gedanensis vocatione, Philosophiæ Primæ & Practicæ Prof.  
Publ. ut & Bibliothecarius posthac in Athenæo nostro futu-  
rus. Ille καλλιμαθίαν novam sic excolendam esse duxit, ut  
πολυμαθίαν veterem ubique adjungeret, hanc que etiam in plu-  
rimis illi præferret. Lingvas exoticas, Italicam, Gallicam,  
Anglicam, Hispanicamque ita didicit, ut præter Latinam, iis-  
dem summâ diligentia substrueret Græcam, Hebraicamque  
imo & quæ inter orientales ditissima amplissimaque est, Ara-  
bicam. Ille non in frontispicio librorum hæsit; sed interio-  
ra penetrans, rarissimos Scriptores, quorum egregiam supel-  
lectilem patriæ invexit, assiduâ lectione, in succum quasi &  
fangvinem convertit. Ille Nummorum scrutinio, sine quibus  
institui commodè nequit, historiam priscam & sapientiæ præ-  
cepta sollicitè præmisit. Ut paucis multa complectar, ille in va-  
riis Germaniæ, Belgii, Angliæ, Galliæ, Italiæque Academiis istud:  
*Dic cur hic*: memori animo custodiens, sibi dictum esse existi-  
mavit. Bibliothecas etiam celebriores, Lipsiæ Paulinam: Oxonii  
Bodlejanam: Parisiis Regiam, Thuanæam, Colbertinam,  
Sorbonisticam, Benedictinam, Tellerianam, quæque à S.  
Genevê & Honorato celebre nomen trahunt: Lugduni  
Jesuiticam: Florentiæ Ducalem: Romæ Vaticanam & Bar-  
berinam: Mediolani Ambrosianam; Viennæ Imperatoriam;  
Vratislaviæ Elisabethanam & Magdalenam, hospes frequens  
ac impiger visitavit; ut instar sedulæ apis ubique mel sapien-  
tiæ studiosissimè conquireret & in alvearia sua deportaret.  
Viros insuper doctissimos longo numero recensere posse-  
mus, cum quibus apud exteros notitiam, imò & haud rarò fa-  
miliaritatem contraxit. Sed cum & tempori & chartæ parca-  
mus, paucos ex multis, quorum præ aliis aut publicâ privatâ-  
ve informatione, aut colloquiis eruditus se adjutum esse, non  
sine grati animi contestatione, gloriatur, enarrabimus. Omit-  
tetur verò Germania, in quâ alioqui, præ ceteris urbibus, Li-  
psia, quam Studiorum matrem delegerat, haud paucos,  
ex religiosissimis Theologis & accuratissimis Philosophis  
& Philologis suppeditaret, quos Noster ille attentè audi-  
vit pedibusque eorum affedit: Sed ut diximus, omitteretur nobi-  
lissimus Europæ tractus: non quod Eruditorum ibi degenti-  
um copia reliquis Europæ partibus cedat; sed quia luminum,  
quibus collustratur, fulgor, vicinorum oculos jam pridem oc-  
cupavit; ut enumerationi eorum apud nos immoraturus, so-  
li faculam accendere videretur. Præter eos autem Amstelodami  
Mar-

FKT 7859

Marco Meibomio, Francio, itemque Mezâ & Pinâ, Medicis inter Judæos literatissimis: Lugduni Batavorum Perizonio: Londini Bentlejo: Oxonii Bernardo, Hyde, Dodwello & ex Hebræis Abendanâ: Cantabrigiæ Covelo & Laughtonio: Ultrajecti Grævio, Tollio, Vriesio: Parisiis Clemente & Boivinio, Bibliothecæ Regiæ custodibus, nec non Balluzio, Piquesio, Mabillonio, Montfauconio, Toinardo, Vaillantio, Boudeiotio, & quibus se plurimum debere profiteretur, Ozanâ in Matthesi & Ludovico de Longuerue in Arabicâ lingvâ: Aquis Sextiis Pagio: Florentiæ Magliabechio: Neapoli Valettâ: Romæ Cassanatâ & Norisio, Cardinalibus eminentissimis; similiterque Zacagnio & Pastrizio: Venetiis quibusdam ex Judæis doctioribus: Mediolani Muratorio & Bidello: Bononiæ Marfiglio &c. non sine studiorum emolumento, usus est. Sed & Disputationibus quibusdam, in almâ Philureâ habitis, inclaruit, nempe *de Purgationibus castitatis, quæ inter Judæos quondam obtinuerunt: de Ceremoniâ Palmarum, apud eosdem in festo Tabernaculorum solenni: de Judæis præputium attrahentibus, ad I. Cor. VII. 18: de Modo demonstrandi veritatem in rebus naturalibus.* Ut de Collectoribus Actorum eruditorum Lipsiensibus nihil dicam, quorum collegio insertus, cum plurimis libris, in gratiam orbis eruditi, perlegendis & excerptis operam impenderit, institutum virorum publicæ utilitati, æternâ cum laude, invigilantium, haud perfunctoriè promovit. Virum itaque hunc laudatissimum, quem Magnifici Patroni, Philosophum nostrum & Bibliothecarium esse jusserunt, muneri suo die X. Decembris Hora IX. solenni ritu, ex Superiorum decreto, admovebimus. Præibit Rector & adituâ oratione *de Gratiâ*, cathedram eidem pandet: Mox autem insequetur novi Professoris dissertatio, *de Nimiâ quorundam ad Aristotelem propensione.* Faxit DEUS, ut non initia solùm, sed quàm maximè etiam progressus usq; quaq; feliciter succedant. Benedicat civitati huic ejusq; Magistratui & Ordinibus providentissimis. Servet Serenissimum Potentissimumque Regem nostrum, AUGUSTUM II. ut scepro ejusdem quieti regamur, ingentemque Seculi XIIII. quod nuper ingrediemur, portionem, utrinque felices decurramus. Semper, ô utinam! eveniat, quod omniamur:

*Non desperandum Rege hoc duce & auspice Rege hoc.*  
P. P. Dom. II. Advent. M DC XCIX.

VOT

mc.



FK132  
11

*De vita eruditione et alienibus litter.*  
*Gabr. Grodeckii*

X1503637

II n  
7857

QUÆ RES FELICITER VORTAT!  
JUSSU  
MAGNIFICI AMPLISSIMI;  
SENATUS GEDANENSIS,  
AD SOLEMNITATIONIS

VIR EXCEL  
DN. M. IEL  
GR

HACTENUS IN  
RATURÆ TALMUDIC  
PROF. PUBL. EXTRA  
ASSESSOR ET C

PHILOSOPHIÆ PRIMARIÆ,  
NARIÆ, UT ET  
IN AT  
Die X. De

LÆTIS  
LITERARUM  
PATRONORUM

ET  
C  
STUDIOS  
PER  
ATH  
SAMUEL  
S. THEOL. D. E  
AD

GEDANI,

Excudit JOH. ZACHAR. STOLLE,

Typographus Athenzi.

